

IN VIGILIA EPIPHANIÆ

EVANGELIUM, MATTH. 2.

In illo tempore : Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel. Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas ; quoniam Nazaræus vocabitur.

CONCIONES.

- I. *Nazaræi nostri religiosi, speculum sæcularium.*
- II. *Inter Nazaræos nostros societatem Jesu quoque numerandam, adeoque a Deo vocatam esse.*
- III. *Clericorum insignia, et præscripta.*

- IV. *Documenta.*
- V. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTIONARIÆ.

- I. *Christus Nazaræus, desideratus cunctis gentibus.*
- II. *Christiani Nazareni, seu floridi.*

CONCIO I.

NAZARÆI NOSTRI RELIGIOSI, SPECULUM SÆCULARIUM.
I. Nazaræi sunt nomine. — II. Voto. — III. Cæremoniis et legibus. — IV. Fine.

THEMA.

Quoniam Nazaræus vocabitur, Matth. 2.

Salvator noster, auditores, non fuit Nazaræus ritu et professione, quales erant apud Judæos olim, de quibus agitur Num. VI. Si quis tamen contendat fuisse Nazaræum quoad nominis significationem, videlicet, sanctum et segregatum, cum eo non contendam. Quin etiam istud addo, hujusmodi Nazaræos esse apud nos quam plurimos utriusque sexus, religiosos scilicet, qui quanto perfectiores sunt Judaicis Nazaræis, tanto majore in admiratione a nobis habendi et contemplandi sunt ; sunt enim velut stellæ firmamenti, morte in hujus tenebricosi mundi illustrantes ; sunt velut specula in quibus virtutum omnium species relucet, nobis a Deo proposita, ut in illis nostras cernere fœditates et miserias, atque ita si non imitari illorum perfectionem, saltem detestari et odisse nostram imperfectionem possimus. Quare videamus cujusmodi Nazaræi sint religiosi.

I. Nazaræi sunt (mystice, verius tamen quam veteres illi) si consideremus ipsum nomen ;

siquidem et ipsi se a communi vivendi agendi- que ratione separant, necnon a quibusdam rebus, quæ alioquin aliis concessæ, velut ab opibus propriis, a conjugio, a voluntatis et potestatis suæ dominio seipsos quoque separant, Deo ac divino cultui totos se devotes. Porro hoc duplici modo faciunt : alii enim inter homines quidem ob eorum salutem conversantur, a mundi tamen illecebris et voluptatibus abstinent, non minore miraculo quam si quis in latissimo et opiparo convivio sedens, spreto omnibus ferculis, pane tantum et aqua victitaret. Alii ita se includunt, ut ad hujusmodi illecebras nullum prorsus aditum habeant, sed quasi in perpetuo carcere captivi esse velint ; quales pleræque moniales et non pauci monachi, quia perpetuæ clausuræ addicti. Sane in vita S. Martini episcopi scribit Sulpitius virginem religiosam domui suæ ex voto per plures annos inclusam, cum eam Martinus alloquio suo honorare vellet, noluisse se conspiciendam præbere tanto licet viro, ne propositi sui vinculum ullatenus laxaret ; ideoque a Martino magnopere commendatam esse. S. Petrus venerabilis, qui vixit anno Christi 1100. refert I. I. mirac. c. XXII. moniales Marciniacenses clausuræ suæ adeo tenaces fuisse, ut cum in vicinis ædibus circumcirca grassaretur incendium et Hugo archiepisc.

Lincolniensis suaderet, imo præciperet eis fugam e monasterio ne perirent, fugere nolent : una enim nomine Guisla (quam sæpius se vidisse ait Petrus Ven.) nomine omnium respondit : « Nos, pater, timor Dei et præceptum abbatris nostri, ut ignem æternum evadere possemus, intra hos, quos cernis limites, usque ad mortem permansuras, includit, unde nullo pacto fieri potest, ut aliqua necessitate præfixis nobis penitentia terminos, saltem pedis passu transgrediamur ; nisi ab illo qui in nomine Domini in hoc nos includit loco solvamur. Noli ergo, domine, si placet, hoc injungere, quod nobis agere non licet ; sed sicut nos ignem præcipis fugere, ita magis igni, ut a nobis fugiat, virtute Christi Domini nostri armatus injunge. » Ad quam mulieris fidem stupefactus archiepisc. ac subito et ipse fide repletus, foras exiit, et flammam intuens, ac lacrymis per ora perfusus ait : « In nomine Domini et per meritum fidei hujus, quæ nunc locuta est mulieris recede, ignis pestifer, ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua ultra inferre præsumas. His a pontifice verbis prolatis (sicut mihi testificati sunt qui viderunt) repente immensitas flammarum, invisibili virtute repressa, velut ferreo muro obstantem, ultra procedere non potuit. »

Memorable etiam est, quod celeberrimus ille monachus, Senuphius nomine, a Theodosio imp. e solitudine evocatus, ut in bello periculosissimo comes ipsi adesset, fecit. Anceps enim cum et obsequi imperatori vellet, et cellam deserere nollet, divino instinctu, præclarum consilium inivit, fide plenum ; nam cum superhumeralibus et baculum gestans, audenter, ante omnes procedat in hostes, incruentam reportaturus victoriam. Sic egit imp. magna fide nixus ; sic victoriam obtinuit. Festum imperator nominavit hunc diem, et nunc quoque post tantum tempus, magnifice celebratur ab Alexandrinis ; ab eis enim imperatori facta est statua, eo quo tunc erat modo armata, sic apud Metaphr. XXXI. Jan. actis SS. Cyri et Jo.

Quis ergo religiosos nostros non merito jure vocet Nazaræos, id est separatos, quam legales illos, qui non semper ad totam vitam, sed plerumque ad certum tempus ; non ab omnibus sæcularibus rebus, sed a certis tantum abstinent ?

II. Si consideremus eorum votum, quo se Deo ejusque cultui devotent et ipsi, et imponunt sibi necessitatem servandi Deo, vivendi in paupertate, castitate et obedientia, ad ulti-

rum, quam heroicam, quam difficile opus est ! In voto enim Deo datur non tantum ipse actus, sed et potentia, voluntas scilicet et libertas, cui ita renuntiat is qui vovet, ut deinceps aliud velle non possit : proinde datur non solum Deo fructus, sed et arborem cum fructibus. Narrat Plutarchus in Laconicis, de quodam Lacone, qui cum vovisset quod se de Leucate petra præciperem dare vellet, consensa petra et visa altitudine, se avertit et pedem retulit. Quod cum illi probro daretur, respondit : « Non putabam illi voto majore voto opus esse. » Ita sane vota religiosorum de procul conspecta et mente solum cogitata, minus difficultatis habere nobis videntur ; sed si eo veniremus, ut jam omnibus sæculi rebus, conjugio, libertate, omnique possessione abdicare nos æternum deberemus : quam multi, putatis, e nobis resisterent præcipitio hoc absterriti. At eo se projecerunt viri religiosi sola Dei ope et promissione nixi, devoverunt Deo animam ad perpetuam obedientiam, corpus ad perpetuam castitatem, opus ad perpetuam pauperiem, fortissimo voti vinculo sese adstringentes, atque ut hoc firmiter sit plerique illud renovant aliquoties in anno, vel dumtaxat semel ne qua illius irrepit oblivio, atque ut in se magis stabiliantur. Multum se aliqui præstitisse autumant, si vel ad unicum annum interdixerint sibi ludum alearum, vini potum, tabernarum accessum vel chorearum ; at quantum est hoc, si cum votis religiosorum comparetur ? Profecto cogimur dicere cum rei veritate quod Num. XIII. exploratores illi terræ promissæ : *Ibi (in religione) vidimus monstra de genere giganteo : quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Et quis ex hoc etiam capite non præferat nostros religiosos Judæorum Nazaræis ? Magnum et admirandum quid fuisse votum Nazaræorum, quod vini potum se abdicassent, colligitur ex Num. c. VI. Ita enim ibi Septuaginta legunt : *Vir sive mulier si voluerint granditer votum vovere, (novator Munsterus vertit ; si mirandum aliquid fecerint ; et causam adjicit : Mirandum est, cum quis vino et deliciis assuetus, votum abstinentiæ fecerit et carnem suam a deliciis subtraxerit ;) at quanto grandius et mirabilius est, abdicare sese opibus, conjugio, propria voluntate !*

III. Si consideremus Nazaræorum cæremonias et leges, quæ potissimum quatuor erant. Primo a vino et sicera omnique quod inebriare potest, imo et ab acinis et uvis abstinebant, tum ut ab omni ebrietate quam longissime abessent, tum ut ea quæ ad voluptatem, hilaritatem, vitæque commoditatem faciunt, sibi eriperent. Nostris quidem religiosis, quia legales Nazaræi non sunt, vinum non prohibetur, modicum

BIBLIOTHECA CENTRALIS
U. A. N. L.

tamen minusque pretiosum illis et apponi ad refectionem solet, et suadetur ab apostolo I. Timoth. V. qui Timotheo scribit: *Noti adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates.* Et a S. Bern. qui in l. de ordine vitæ scribit: « Si religioſus et sapiens vult esse, nunquam vinum reddeat, ne audiat illud Philosophi: Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. » Et in l. de modo bene vivendi, serm. XXV. « Bibamus non quantum gula quærit, sed quantum necessitas requirit. » Et mox: « Quare? Quia vinum temperate potatum facit ad orationem sollicitum et in Dei servitio acutum. » Causa reddi physica potest, cur iis qui studio et contemplationi vacant, vinum moderatum conducatur. Unica enim est hominis anima, quæ triplices habet functiones. vegetativas, sensitivas et rationales. Quando igitur hæc anima, quæ valde limitata habet vires, tota pene in cerebro vacat attentioni, studio, contemplationi, distrahitur a stomacho ut minus ei vacare suo calore ad concoctionem et digestionem queat; quare externi caloris fonte indiget, ne crudi atque phlegmata et similia in stomacho gignuntur. « Vult Deus prudenter sibi serviri, (inquit S. Ambrosius), ne nimietate debiles efficiamur et postea medicorum suffragia requiramus. » Deinde religiosi nostri abstinere a vino spirituali sensu, dum omni inordinato amore et possessione rerum creaturarum sese abdicant; ut enim vinum potantem, ita amor ille mentem inebriat. Votum hoc perfectius ac præstantius est voto Nazaræorum.

Deinde sicut Nazaræi ab acinis et uvis quoque prorsus abstinere, ita nostri religiosi ex ipso suo statu non modo remoti sunt ab iis rebus, quæ cum peccato conjunctæ sunt, verum etiam ab omnibus, quæ aliquam affinitatem vel illecebram peccati habent; quia valde proclive est ab acinis ad uvam, ab uva ad vinum, a vino ad ebrietatem prolabi. Eo pertinet, quod mulieres ad monasteria non soleant intramitti; quod attentans aliquando violenter Aragoniæ regina, dum cellam S. Vincentii ord. S. Dominici, contra ejus voluntatem et institutum ordinis ingredere, Vincentium tametsi proximum sibi videre minime potuit, donec egressa foris eum expectavit. Rauzanus, in vita l. II. c. IX. Item quod religiosi pecuniam vel minimam possidere, vel tractare absque consensu superioris nequeant. Cui legi cum aliquando, tempore S. Gregorii Papæ, monachus quidam in monasterio S. Andree (in quo Gregorius degebat) Romæ confuvenisset, tresque aureos sibi retinisset, in penam præsumptionis, æger ab omnibus fratribus desertus, et post mortem in sterquilinio sepellus est, projectisque post eum aureis fratre s

exclamarunt: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, » scribit ipsemet Gregorius, l. IV. dial. c. LV. Plura alia afferre possem, quæ sæcularibus quidem licent, religiosi vero non licent, tametsi in se mala non sint; quo peccandi occasiones remotiores fiant. Sed properandum est, quia multa adhuc dicenda.

Secunda lex: capillum promissum gerebant, unde nec radi, nec tonderi poterant; tum quia prolixior capillus o'lim pulchritudinis insigne erat, tum quia capillorum rasura inanibus dicata diis. Baruch VI. Neque hoc ad litteram opus servare nostris Nazariis; meliore modo observant, dum sanctas cogitationes nutriunt; dum contemplationi quotidie incumbunt; dum non opera tantum et verba, verum et cogitata, adeoque omnia membra student ab omni inquinamento impolluta servare. S. Thomæ Aquinatis apophthegma est: « Religiosus non est, qui non semper in mente habet Deum. » Ergo qui in mente semper Deum gerit, is profecto capillum elegantem, Absalonico illi opulchriorem gerit. Ad hæc religiosi in se maculas deprehendunt, quas sæculares ut pilum tenuissimum non vident, proinde nec capillo uno æstimant. Ita enim S. Gregorius Nazianzenus orat. de furo, ait: « Illud velim ne ignores, rugam unam tibi turpiorem esse, quam maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt. »

Tertia: ad nullius omnino mortui cadaver ingredi poterant; tum ut omni tempore sacris interesse possint; (ex lege enim Mosaica et alii Israelitæ per commercium cum funere, integra hebdomade polluti reddebantur) tum ut intelligerent cavendum sibi majore cura ab operibus mortuis. Jam nostri Nazaræi et istud suo ac meliore modo præstant, dum, erga carnem et sanguinem, erga parentes et propinquos omnem inordinatum affectum, quo alioquin animam contaminari necesse est, exuunt. Scimus cuidam discipulo Christi petendi sepelire patrem suum, Christum respondisse: *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. VIII. Ergo qui carnali propinquorum amori et commercio renuntiat, ille mortuos devitat, et sinit mortuos sepelire mortuos suos. Pro miraculo habitum est, quod vacca illæ, quæ portarunt arcam in terram Israel, reclusis domibus, eorum vagitu et clamore ab itinere suo minime revocata sunt, sed recta ad destinatum perrexerunt. I. Reg. VI. Hujusmodi autem vacca sunt religiosi, qui patriam, domum ac solum, ut jugo Christi colla submittant, ita constanter et animose deserunt, ut parentum aut filiorum, fratrum ac sororum fletibus et lamentis minime attentis ceptum iter pergant.

Quarta: finem Nazaræatui impositurus debebat offerre tres hostias immaculatas ad os-

tium tabernaculi, scilicet agnum in holocaustum, agnam in sacrificium pro peccato, arietem in hostiam pacificam; deinde debebat radere capillos eousque servatos et comburere: atque hæc in gratiarum actionem et Dei honorem, cui Nazaræus esset consecratus. Faciunt et hoc suo modo religiosi nostri: primo enim cum post annos probationis ad ostium tabernaculi, id est, ad ingressum et professionem religionis (quæ est spiritualis eorum mors) sistuntur, ibi sese Deo cum triplici hostia triplicis voti offerunt, hostiam immaculatam, cum per omnem reliquam vitam immaculatos se a peccatis custodire satagunt, et hunc in finem singulis septimanis aut etiam crebrius conscientiam suam emundare eandemque singulis diebus examinare et proposito emendationis ab omnipulvere excutere solent. Quo circa Climacus, gradu IV. de obedientia scribit, monachos prisce ævi in cingulis gestasse libellum, in quo cogitationes per diem occurrentes scribebant, ut eas abbati suo revelarent. Offerunt holocaustum, dum se ad omnem obedientiam promptissimos fore jurant. Hostiam pacificam, dum firmissime statuunt cum omnibus pacem habere, veluti quatuor illa animalia Ezechielis eundem currum summa pace trahentia; ita ut bos cum aquila, hoc est, tardus cum pernice, homo cum leone, hoc est, mitis cum feroce quiete vivere velit, et contra. Hostiam pro peccato ad omnia patienter ferenda et dissimulanda, quomodo abbas Nestero quando intravit primo in monasterium, dixit animo suo: « Tu et asinus unum estote; sicut enim asinus vapulat et non loquitur, injuriam patitur et non respondet, sic et tu; sicut et in Psalmo legitur: *Ut jumentum factus sum apud te.* » Vitæ PP. l. V. c. XV. Concremant Deo crines suos, dum omnes etiam minimas actiones suas ex obedientia peragunt; quæ proinde a Deo in odorem suavitatis acceptantur, ut pote meritoria omnes.

Secundo, in fine vitæ, cum post exsoluta vota sua deponunt omnem curam et sollicitudinem, offeruntque Deo animas suas immaculatas, sicque ingrediuntur per ostium beatæ mortis in æternum tabernaculum.

IV. Si consideremus finem, ob quem se Deo dicarunt. Is enim est non alius nisi Dei gloria et cultus impensor, perfectio in virtutibus, propriaque ipsorum salus, quam expectant in futuro. Hunc finem ut assequantur, assidue versantur in templo canuntque Deo laudes septies in die veluti alaudæ: canunt, inquam, noctu et interdiu ad instar philomelæ, quæ de nocte etiam dulciter canit dum residet super ovis, attendunt se vigiliis, jejuniis, ciliciis, flagellis, perficiunt se in virtutibus, nihil de mundi commo-

ditatibus appetunt aut quærunt; denique « Quasi ab hac mortali vita se juncti, (inquit Euseb. l. I., demonstr. evang. c. VIII.) ipsumque dumtaxat corpus in terra gerentes, quasi quidam callites reliquorum omnium vitam despiciunt, quippe qui pro universo genere summo omnium Deo sacrati sint. » Sunt instar trecentorum illorum militum Gedeonis, qui nequaquam se incurvant ut terrenarum deliciarum aquis proluant, sed erecti ad Deum stantes velut fortes et magnanimi milites (ut qui nec paucillum quietis sibi concedant ad fruendum mundi bonis) moderatissime, quæ ad corporis necessitates pertinent, delibant, ac velut canes e Nilo, carptim scilicet et transcursum bibunt, ne a pessimis mundi crocodilis, hoc est, cupiditatibus corripantur et hauriantur; ad hæc quoque tubas orationis et psalmodiæ perpetuo inflant, insuper lagenas corporum suorum variis mortificationibus complodunt et contundunt, indeque lucernas præclarissimarum virtutum toti mundo produnt atque ostendunt, ut eorum heroica vita excitati reliqui vel parum aliquid faciant pro salute animæ suæ. Plerique nos qui in sæculo degimus, similes sumus reliquis Gedeonis militibus 9700. qui flexo poplite irruimus in commoditates hujus sæculi, dum inordinate et insane eas appetimus, dum intemperanter haurimus ac tantum non adoramus, dum in iis acquiescimus, nec ad ulteriorem finem Deum tendimus; atque inde fit, ut veluti ignavi et imbelles milites a Deo exauctoremur ac dimittamur in desideria cordis nostri. O si intelligeremus, quam sordida et fetens sit mundi hujus aqua, quam felix contra et beata religiosorum vita? At vero ea margarita pretiosa conchæ suæ inclusa, nobisque abscondita est. Id tamen cœlesti visione repræsentatum est D. Anselmo (ut habet ejus vita) et per illum nobis. « Raptus enim in extasin vidit fluvium immanem atque præcipitem, in quem sordes omnes quæ ubique terrarum essent, confluerent, ita ut nihil aquis illius turpius ac fœdus fieri posset, quæ etiam quidquid attingerent, raperent, ac devolverent, viros, feminas, divites, inopes. Quod ille spectaculum miratus ac miseratus, cum quæsisset quibus iis rebus alerentur, et quomodo viverent, responsum est ei, infelices illos eodem ipso cœno, quo trahebantur, potari et delectari. Quin etiam adjecta est mysterii hujus interpretatio, torrentem illum esse ipsum mundum, in quo cæci mortales suis divitiis, honoribus et reliquis cupiditatibus involvuntur; cumque adeo miseri sint, ut ne consistere quidem possint, ipsos tamen se beatos et fortunatos putare. Ductus est deinde in septem quoddam ampli et spatiosi claustrum, cujus omnes parietes ar-

gento obducti purissimo mirum in modum nitebant : in medio pratum erat, et in eo herbulæ, non ut vulgares istæ, sed omnes argenteæ, eademque tamen virentes et molles, ita ut facile cederent insidenti, eoque surgente per se rursum subrigerentur ; aer autem placidus et amœnus ; denique omnia jucunda et suavia, ut nihil amplius ad felicitatem optari posse videretur. Atque hoc indicatum est ei esse religiosum statum, ut sine dubio ejusmodi imagine docere voluerit Deus, in mundo omnia esse fœda, incerta, mortifera, et semper in præceps ruentia : contra vero in religione omnia pulchra, omnia jucunda, denique omnia ut argentum et candida et pretiosa. » Nos ergo, auditores, si computari nolumus inter ignavos illos milites, separemus nos ab his eorumque moribus, dum adhuc in via sumus ; aspiciamus potius ad trecentos illos heroes, tot millenos, inquam, religiosos utriusque sexus, et siquidem adamussim imitari eos aut nolumus aut non possumus, ut mente semper in Deum erecta perpetuo in armis stemus, ut sæculi commoditates delibemus potius quam bibamus, ut lagenulam carnis nostræ asperiori mortificatione conteramus, ad aliquem saltem gradum hujus perfectionis aspiremus. Sit primum et primum nostrum studium animi cura, secundarium corporis alimonia. « Neque enim, ait Tullius I. offic. IV. vir non christianus sed gentilis ita generati a natura sumus ut ad ludum et jocum facti esse videamur, sed ad severitatem et ad studia quædam graviora atque majora. » Bibendum quidem, edendum, dormiendum, corpus vestiendum et sustentandum est ; sed absit in his intemperantia, absit in voluptates omnes projectio et prostratio, etiam iis diebus, quibus alii plerique vivunt bacchanalia. Non moveat nos turba : ubi multi divertunt, ibi male hospitantur. Major hominum pars vergit ad interitum. Plusquam novem millia in aquas procubuerunt, trecenti tantum steterunt : illis reprobat, hi vero electi sunt. « Ille, (inquit Origenes, hom. IX. in Judic.) probabilis, ille electus est, qui posteaquam ad aquas baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas, et corporeas nescit, qui vitiiis non indulget, neque ob peccati situm sternitur pronus. »

Videmus ergo, auditores, etiam in Ecclesia nostra nostros Nazaræos tanto illis veteribus majores, quanto major eorum sanctitas vitæque perfectior ; ut merito de ipsis, non de Judaicis, dictum existimare possimus id Thren. IV. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Ita enim eum locum exponit S. Greg. qui religiosorum vitam nive et lacte candidiorem dici ait : « Quia per nivem utpote quæ ex alto venit, optimi quique, et cœlestes viri ; lacte, vero quod

ex carne exprimitur, ii qui terrena recte dispensant, designati sunt, quibus tamen utrisque religiosorum status antecellit. Qui etiam quia per fervorem spiritus antiquorum ac fortium patrum (ebur enim os magnorum animalium) nonnunquam vincere vitam videntur, recte additur : *Rubicundiores ebore antiquo.* Denique quia præcedentes multos, atque ad superna tendentes per cœlestem conversationem superant, sapphiro etiam pulchriores appellantur ; sapphirus enim ætherei coloris est. » Hæc Gregorius. Videmus non injuria sanctos appellari posse nostros religiosos, si cum sæcularibus eos comparemus. Dicite enim si in sæculo aliquis præstaret, quod præstant religiosi, si juxta eorum regulas jejunaret, psalleret media nocte, vigilet, tria vota servaret, etc. quis eum non virum sanctum diceret ac miraretur ? Atqui hoc in religione præstant ipsi pene omnes. Denique videmus in istis Nazaræis veluti in speculis, quam longe adhuc a regno cœlorum absimus, et quam sordeat terra nostra si cum cœlo religiosorum comparetur. Incipiamus ergo vel nunc abstergere nostras sordes, mori mundo et vivere Deo.

CONCIO II.

INTER NAZARÆOS NOSTROS SOCIETATEM JESU QUOQUE NUMERANDAM, ADEOQUE A DEO VOCATAM ESSE.

I. Quia pontifices approbarunt. — II. Quia brevi mire propagata. — III. Quia juratus hæreticorum hostis. — IV. Quia Sedi apostolicæ quarto voto obstricta. — V. Quia a malis impugnata. — VI. Quia ex instituto et pluribus mediis salutem proximi curat.

THEMA.

Quoniam Nazaræus vocabitur. Matth. II.

Sanctum et omni veneratione dignum est Nazaræi seu Nazareni vocabulum, prævisum ab Isaia propheta, tributum Christo ab angelis causa honoris, Marci XVI. necnon ab apostolis Act. c. II. III. IV. XXVI. denique Christiani omnes in principio nascentis Ecclesiæ a Jesu Nazareno Nazaræi dicebantur, et christiana religio secta Nazarenorum, Actor. XXIV. Nihilominus tamen hoc vocabulo ad ignominiam Christi usi sunt ejus inimici, Judæi et gentiles, uti imprimis Pilatus, qui per contemptum titulo crucis nomen id inscripsit, denique Judæi qui Christianos Nazarenos contemptim appellabant, eaque voce ter in die quando preces perficerent in synagogis suis, maledicebant Christianis, ipsique Christo, teste D. Hieronymo in Isaia XLIX. Adeo nil tam sanctum et laudabile est, quod ab invidis et impiis non trahi ad injuriam et contemptum possit. Id ipsum etiam contingit religioso et venerabili cœtui patrum

societatis Jesu, præsertim in sui exordio ; ubi eorum institutum et nomen ab ipso Salvatore tractum multorum oculos pupugit, nec desunt etiamnum qui nescio quo glaucomate cæcati eandem societatem non rectis oculis aspiciunt, et nomen Jesuitarum nonnihil ægre audiunt. Quorum auribus oculisque, utpote male affectis, ut curam adhibeamus, ostendemus hic institutum societatis Jesu sanctum et venerandum, adeoque a Deo esse.

I. Primo probatur ex pontificum Rom. approbatione et decretis. Imprimis enim cum S. Ignatius instituti sui formulam pontifici confirmandam obtulisset, pontifex eam magistro S. Palatii cognoscendam dedit. Ab hoc approbatam, ut ipsemet vidit accurateque perpexit ; *Spiritus*, inquit, *Dei est hic*, patrumque illorum consilium et pia studia collaudavit, simul et illud addidit sese præ sagire jam tum animo, societatem hanc id temporis excitatam, afflictis Ecclesiæ rebus non levi præsidio atque ornamento fore. Verum ne quid præcipiti consilio statuisse videretur, rem maturius ponderandam judicavit et tribus cardinalibus commendavit. Inter quos cum unus Guidiccionius, acerrimus novorum religionum hostis anno integro contra nitetur, collegis etiam in sententiam suam perductis, tandem Ignatio post votum factum, iterum negotium urgente, repente illi cardinales præter consuetudinem ad id, quod prius tam constanter repulerant, toto nutu voluntatis impelli se inclinarique sentiebant. Et Guidiccionius quidem postea societatis causam apud pontificem tam ferventer egit pro ejusdem confirmatione ut nemo unquam amplius, divino utique instinctu promotus ac impulsus, uti ipse fassus in oratione est ; et videre est in historia societatis Jesu, lib. I. Eandem postea denuo confirmavit Paulus tertius, et Julius tertius. Quod ergo Romani pontifices divino impulsu approbaverunt, viderit qui improbare audeat ? Tales enim sese parum obedientes filios pontifici ostendunt.

II. Quia tam brevi tempore mirabilem progressum habuit, et per universum orbem se dilavit non secus ac ipsa christiana religio primis temporibus universum pervasit orbem claro testimonio, quod ea cœlestissit. Qua in re optime dixit Gamaliel in concilio pharisæorum de doctrina apostolorum habito : *Discedite ab hominibus istis et sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini.* Actor.

VI. Quoniam igitur societas ista tam brevi tantum incrementum sumpsit, nec dissolvi a multis, quos habuit, antagonistis potuit : quis poterit dubitare eam a Deo esse ? In hanc sententiam Marcellus secundus papa aliquando in

conventu plurimorum hominum de hac societate loquens dixit se non legisse (etsi in historiis erat versatissimus) ulli homini post apostolorum tempora concessum fuisse a Domino, quod patri Ignatio, ut dum viveret, tantum operis, cujus fuisset ipse instrumentum, incrementum videret. Significabat autem apertissime hac testificatione declarasse Deum hominibus quantum hoc institutum approbaret. Occurret hic forte quis Luthericola et objiciet majus incrementum et velocius evangelium Lutheri. Sed operæ pretium non est, tam futili objectioni respondere. Quis enim nescit, quantum intersit inter Ignatii religionem et Lutheri evangelium ? Illa homines a mundo ad religionem vocat, hoc religiosos ad mundum evocat : neque majus mirum est incrementum Lutheranorum, quam olim incrementum Epicureorum, qui numero longe superabant Peripateticos et Stoicos, quia illorum disciplina laxior et crassior erat, horum severior et strictior. Sed de hoc infra fuis.

III. Quia perpetuus hæreticorum hostis et malleus. Multa se facturos spondebant nostri hæretici et facerent etiamnum in gratiam Catholicorum, dummodo Jesuitas exterminarem ; quidvis potius latari quam illos : cum iis Vaticanum odium. Sed nihil obtinent ridiculi. Olim etiam Philippus rex, cum Athenienses obsideret, postulavit ab iis ut decem sibi oratores darent, velle se hoc pacto discedere. Sed Demosthenes respondit hac ratione lupos aliquando petisse canes a pastoribus, velle se proinde eo pacto societatem cum illis inire ; quibus traditis lupi secure invaserunt et diriperunt gregem. Hoc idem nunc machinari Philippum dum sapientes qui urbium sunt muri et propugnacula, sibi dari postulabat. Isidor. lib. I. etymol. cap. XL. Neque aliud machinantur hæretici, dum Jesuitas a Catholicis procul remotos volunt. Hinc ergo satis colligere est, a Deo missam esse patrum societatem, quæ tam implacabili odio et indefesso labore hæreticos exagitat et calamo et voce. Solemne est Domino Deo, quoties nova hæresis prodit, adversarium ei excitare, qui eandem conterat. Hoc factum tempore Lutheri quando illi hostis excitatus est Ignatius cum sua societate. Scribit Olaus M. lib. XXII. c. V. in aquilonari regione compertam esse formicarum speciem, quibus insidiatur ursus. At illæ adeo solerter eum invadunt, ut ejiciant. Quin si forte unicam formicam in foveam suam, pills occultam intulerit, eaque ibi nidificaverit et prolificaverit, etiam inde ursum cum prole universa perpetuo exulem faciet. Quam turpis ursus Lutherus ? Unica formica Ignatius : et hæc tamen sua cum prole Lutherum longius in dies pellit, et, ut bene speramus, brevi ex-

BIBLIOTHECA CENTRALIS
U. A. N. L.